



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens Psalmos à 51. ad 75

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, 1762**

**VD18 15558428-001**

Psalmus LVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

*de morte, & pedes meos de lapsu: ut placeam coram Deo in lumine viventium.*

Hæc est summa beneficiorum Divinorum. Quia vitam meam servasti ab imminente morte, sive à Saule, sive ab Achis Rege Philistinorum: servasti etiam à morte spiritali, seu peccato, ne scilicet inter tantas tentationes provocatus, Saulem interficerem, aut ei maledicerem. *Ut placeam &c.* in lumine vitæ hujus temporalis, quo mortui carent; & in lumine fidei, & gratiæ, quo carent infideles, & peccatores, ut tandem perveniam, ad lumen gloriæ cælestis, quo fruuntur illi, qui soli verè, proprièque viventes dici possunt.

## PSALMUS LVI.

**T**itulus: *In finem, ne disperdas, David in tituli inscriptionem, cum fugeret à facie Saul in speluncam.*

*Psalmus hic conscriptus est occasione historia, qua refertur 1. Reg. C. 24. Nam David Saulem fugiens, absconditus est cum aliquot ex suis in speluncam Engaddi: & cum Saul casu ad eam speluncam venisset, & solus intraret, ut purgaret ventrem; David, qui in parte interiore latebat, incitatus à suis, ut interficeret Saulem, noluit id facere. Ex hac historia*

*storiâ patet, argumentum hujus simile esse ar-  
gumento Psalmi superioris.*

*In titulo nihil est novi, prater illa duo ver-  
ba, ne disperdas, quæ quid significant, incer-  
tum est. Omissis aliis, aliqui volunt, hæc ver-  
ba ad Davidem pertinere, & hunc rogare De-  
um, ut non sinat eum occidi, & perdi.*

*ψ. 1. Miserere mei Deus, miserere mei:  
quoniam in te confidit anima mea.*

*ψ. 2. Et in umbra alarum tuarum spera-  
bo, donec transeat iniquitas.*

Misericors Deus, tolle miseriam, quam  
patior ob periculum vitæ, cui Saul insidiatur.  
*Quoniam in te &c.* Confidentia in Deo est  
optima ratio impetrandi misericordiam, cum  
Deus promiserit opem confidentibus in se. Imò  
perseverabo in hâc confidentiâ, quoad vi-  
vam: tamdiu enim durat iniquitas, quamdiu  
durabit peregrinatio hæc, in quâ mali bonis  
admixti sunt. Metaphora illa de *umbrâ alarum*  
familiaris est Scripturæ: hâc significatur in-  
gens amor Dei erga suos electos, quos fovet,  
& protegit, ut res sibi unicè charas.

*ψ. 3. Clamabo ad Deum altissimum, De-  
um, qui benefecit mihi.*

Ex hâc fiduciâ prodibit clamor meus ad su-  
premum judicem, qui est super alios judices,  
qui etiam benefecit mihi: ulciscendo me de  
int-

inimicis meis. De hac ultione vid. Pl. 53. v. 4.  
& L. 1. Reg. C 23.

ψ. 4. *Misit de Cælo, & liberavit me, dedit in opprobrium conculcantes me.*

ψ. 5. *Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam: & eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.*

ψ. 6. *Filii hominum dentes eorum arma, & sagitta, & lingua eorum gladius acutus.*

Misit de cælo auxilium, & liberavit me, dum cinctus legionibus hostium jam jam capiendus, & occidendus eram. Exposuit probris Saulem, & milites ejus, qui me ut pulverem conculcabant, & contemnebant, dum re infectâ, coacti sunt recedere, vide loca ψ. 3. cit. Misit de cælo *misericordiam*, quâ liberaret me; & *veritatem*, seu justitiam, quâ hostes meos pudore, & dolore afficeret. Eripuit vitam meam de medio Saulis, & militum ejus, qui ferociâ leones juvenes, seu fortissimos referebant. Sed & sic liberatus à morte, tamen dormivi conturbatus, quia timui detractiones, & calumnias hostium, quorum dentes, & linguæ feriunt instar lancearum, & gladiatorum acutorum.

ψ. 7. *Exaltare super Cælos Deus, & in omnem terram gloria tua.*

Expo-

Exposito timore suo, precatur Deum, ut exercendo justitiam in impios hostes manifestet gloriam suam *super Calos*, h. e. coram Angelis, & *in omnem terram*, h. e. ut omnes homines laudent justitiam ejus.

ψ. 8. *Laqueum paraverunt pedibus meis, & incurvaverunt animam meam.*

ψ. 9. *Foderunt ante faciem meam foveam, & inciderunt in eam.*

Causam dat, cur judicium Dei contra hostes suos imploret. Nam præter alia, insidias mihi tetenderunt, ut me quasi feram de improvviso caperent. Et his insidiis me afflixerunt, ut præ continuâ sollicitudine incurvus, ac mœstus incederem. Dein idem repetit aliâ metaphorâ. Saul insidiabatur vitæ Davidis, & illo ipso tempore incidit in speluncâ in manus Davidis, qui eum si voluisset, potuisset occidere. L. 1. Reg. C. 23.

ψ. 10. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & Psalmum dicam.*

Jam in fine Psalmi excitat spiritum suum in Deum. Paratus sum vivere, paratus sum mori: paratus conculcari, paratus regnare: quidquid acciderit de manu tuâ, accipiam; laudabo misericordiam, laudabo justitiam, & voce, & instrumento musico.

ψ. 11. *Exurge gloria mea, exurge Psalterium, & cithara: exurgam diluculo. Quia*

Quia dixerat, *Cantabo, & Psalmum dicam*, invocat Spiritum prophetiæ. Exurge donum Spiritûs, quo afflante canere soleo Divina mysteria. Exurge Spiritus meus, & lingua mea: Spiritus per Psalterium intelligitur, quod ex parte superiore sonum edit, & lingua per citharam, quæ ex parte inferiori sonat. Summo mane, quod est aptissimum tempus contemplandi divina, & canendi Deo, ego Spiritus Dei exurgam, & excitabo spiritum tuum, & linguam tuam ad canendum.

ψ. 12. *Confitebor tibi in populis Domine, & Psalmum dicam tibi in gentibus.*

Laudabo te in populis Judæorum, & in gentibus. Noverat S. Propheta Psalmos suos toto terrarum orbe cantandos à fidelibus, tum ex Judæis, tum ex gentibus in Ecclesiâ congregatis.

ψ. 13. *Quoniam magnificata est usque ad Cælos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua.*

Hæc est materia laudis apud omnes gentes, quòd misericordia Dei magna effecta sit, & creverit usque ad Cælos, non in se: sic enim semper est infinita; sed in operibus suis: & pariter *Veritas Dei*, seu fidelitas, seu justitia, repleverit omnia *usque ad nubes*, h. e. Cælos.

ψ. 14. *Exaltare super Cælos Deus, & super omnem terram gloria tua. Sicut*

Sicut misericordia, & veritas Domini per-  
tingunt usque ad Cælos: sic etiam par est, ut  
gloria, & laus ejus, & Cælum, & terram re-  
pleat.

PSALMUS LVII.

**T**itulus, & argumentum: *In finem, ne dis-  
perdas David in tituli inscriptionem.*

*Titulus nihil habet novi. Argumentum est  
acris reprehensio hominum iniquorum: licet  
enim occasio scribendi nata sit ex iniquitate Sau-  
lis, & ministrorum ejus, persequentium Da-  
videm; tamen reprehensio est generalis, & ut  
monuit S. Aug., concionatur Spiritus S. per  
os Propheta ad universum genus humanum.*

¶ 1. *Si verè utique justitiam loquimini,  
recta judicate filii hominum.*

Cùm omnes interrogati, sitne bonum fu-  
rari, mœchari &c., id rectè negent, quia lex  
in corde scripta docet: *quod tibi non vis fie-  
ri, alteri ne feceris*; & tamen impii furentur  
&c., judicantes id sibi bonum esse, aliàs non  
furaturi &c.; contra hanc voluntariam, & inex-  
cusabilem cæcitatem clamat Spiritus S.: dum  
verè dicitis; malum est furari, mœchari &c.  
judicate in corde vestro, non esse facienda,  
ac per hoc nolite facere, quæ mala esse confes-  
si estis.

¶

¶ 2.